

b) in *relativam vel personalem*, quae est usus termini pro inferioribus in eius *extensione contentis*. Haec personalis suppositio potest iterum esse:

a) *Singularis*, si certum individuum significatur; e. g. hic homo.

b) *Distributiva*, si terminus supponitur pro omnibus et singulis individuis, quae *descensu copulativo* enumerantur: hic est mortal is et ille et alius homo est mortal is. *Distributiva* autem suppositio est *completa*, si de *singulis* individuis generis aut speciei, e. g. *omnis homo est mortal is*; *incompleta*, si de *generibus vel speciebus* singularium praedicatur, e. g. *omnia animalia a Deo producta sunt*. Utrumque iterum vel *simpliciter* est distributiva, si nulla est exceptio; vel *cum exceptione*, e. g. *omne animal fuit in arca Noe*.

c) *Collectiva* suppositio est usus termini pro inferioribus simul sumptis, quae *descensu copulato* enumerantur, e. g. Pater et mater et filius etc. sunt familia.

d) *Disiunctiva* est usus termini pro parte *determinata* extensionis: aliquis philosophus syllogismum invenit (sc. non quilibet, sed Aristoteles). Descensus ad inferiora vocatur *disiunctivus*: aut A invenit syllogismum, aut B, aut C etc.

e) *Disiuncta* est usus termini pro parte *indeterminata* extensionis: calamus necessarius est ad scribendum, sc. quilibet, non certus. Descensus ad inferiora vocatur *disiunctus*: Vel hic vel ille vel qui cunque alias calamus est necessarius.

#### II. Termini suppositio ratione *verbi tempus significantis* vocatur:

1. *Status*, si terminus praedicati (verbi) subiecto convenit illo tempore, quo verbum significat: caecus non videt.

2. *Ampliatio*, si terminus supponitur non solum pro tempore verbo expresso, sed etiam pro alio tempore: caecus non vidit (neque nunc videt).

3. *Distractio*, si terminus supponitur pro *alio tempore*, ac verbum exprimit: caeci vident. Patet, praedicatum subiecto ratione temporis non sensu composito, sed *diviso* tribui.

#### III. Terminorum suppositio ratione *termini incidentis* potest esse:

1. *Restrictio*, si terminus incidens restringit *extensionem* termini principalis: homo sapiens.

2. *Diminutio*, si terminus incidens restringit *comprehensionem* termini principalis: albus quoad capillos; fortis vel sanus quoad corpus (non spiritum).

3. *Appellatio*, si terminus incidens determinat significationem termini principalis quodam modo. Subiectum vocatur terminus *appellatus*, si terminus incidens vero *appellans*. Est appellatio *formalis* (reduplicativa), si terminus appellans sumitur secundum significatum termini appellati, et haec est propria ratio appellationis: philosophus bonus (i. e. quoad ratiocinandum); secus est solum *materialis* (specificativa): philosophus dormiens (non qua philosophus), et tunc recidit potius in suppositionem restrictionis. — En conspectum suppositionum:

#### Suppositio terminorum:

I. per se soli:	II. ratione verbi:	III. ratione termini incidentis:	
materialis	formalis	a) status	a) restrictio
realis	logica	b) ampliatio	b) diminutio
absoluta	personalis	c) distractio.	c) appellatio.
a) singularis,	b) universalis-distributiva,	c) collectiva,	d) disiunctiva,
			e) disiuncta.
		completa-incompleta	
		sine vel cum exceptione.)	

#### Liber secundus: De iudicio et propositione.

##### Caput I: De natura iudicij et propositionis.

(Ideae quamquam sunt elementa cognitionis nostrae, per se tamen nonnisi subiectivam cognitionem suppeditant, quin nos certos reddant de obiectiva rerum natura. Oportet ergo accedit actus mentis, quo id quod ideis concepimus, in se verum esse cognoscamus. Hic actus mentis vocatur iudicium.) *Iudicium* igitur, ut S. Thomas ait, „est illa operatio intellectus, secundum quam componit et dividit affirmando et negando.“<sup>1)</sup> (Hoc modo iudicium potius subiective spectatur; obiective consistit in identitate obiectiva duarum idearum affirmata vel negata.)

I. *Natura iudicij*. Tria igitur ad hunc actum mentis requiruntur: 1. *Duae ideae*, quae in omni iudicio supponuntur, una quae praedicatur, et altera, de qua praedicatur: e. g. homo est mortal is. 2. *Comparatio* illarum idearum; neque enim temerarie et pro arbitrio, neque caeco quodam instinctu vel naturae necessitate (Hume,<sup>2)</sup> Kant, Reid, Jacobi), neque mera idearum subiectiva associatione (J. St. Mill, Spencer)<sup>3)</sup>, vel representationum repugnantia mutua (Herbartani)<sup>4)</sup> sive intensitate (Stoici, Hume), ut quidam putabant,

<sup>1)</sup> S. Thom. Quaest. disp. de verit. 14, a. 1. Vide alias iudicij definitiones plus minus veras vel falsas, Eisler, Philos. Wörterbuch: Urteil. <sup>2)</sup> „Sie (die Assoziationsgesetze) müssen auf ursprüngliche Eigenschaften der menschlichen Natur zurückgeführt werden, die zu erklären ich keinen Anspruch erhebe“ (A treatise of human nature (1738) Teil I. Abschn. 4 (Übersetzung von Th. Lipps. II. Aufl. 1904, S. 23). <sup>3)</sup> Cfr. Müller, System der Philosophie, p. 76. E. Fischer, Gesetz der Entwicklung, p. 91. <sup>4)</sup> Drbal, Empirische Psychol. p. 65. De diversis sententiis vide Überweg, Logik, § 67; Windelband, Logik

illas ideas iudicio componimus, sed ex earum convenientia vel discrepantia clare perspecta. Haec autem comparatio dupli modo fieri potest; vel ita, ut idea aliqua sive primitiva sive factitia analysi mentis in notas suas dissolvatur et facta synthesis illae notae iterum componantur, e. g. animal-rationale = homo; vel ita ut duae ideae in mente iam existentes invicem conferantur, quod semper fit in iudicio negativo: homo et immortalis; circulus et quadratum.

3. *Compositio vel divisio*, i. e. affirmatio vel negatio identitatis illarum idearum comparatione clare perspectae. Neque enim sufficit ad iudicium constituendum, novas formare ideas per mentis reflexionem analyticam vel syntheticam. (Neque sufficit mera conscientia (Kant) vel apperceptio (Cornelius), vel analysis conceptuum (Wundt<sup>1</sup>); sed requiritur, ut mens id quod percepit, etiam sic esse *affirmet*; hac enim re iudicium maxime differt tum ab omni apprehensione, quae per se neque affirmit quidquam neque negat, sed menti tantum obiectum praesens sistit, tum a sola associatione idearum subiectiva, ex qua multi Empiristae vel Psychologistae post Hume iudicium explicant.) — Non autem requiritur, ut in iudicio praedicatum subiecto in *ordine physico* tribuamus, ut nonnulli cum Ueberweg, E. Fischer etc. arbitrantur; secus enim iudicia mere analytica e. g. in mathematica fieri non possent. Sufficit, ut praedicatum subiecto conveniat sive in ordine physico sive in ordine metaphysico.

Mens igitur iudicando quasi iudex constituitur de relatione quae est inter duas ideas, et sententiam fert, qua perfecta ratio veritatis efficitur, i. e. intellectus rei plene et perfecte assimilatur. Quare in solo iudicio plena veritas invenitur; ex quo intelligitur, cur iudicium appelletur adhaesio vel assensus mentis in idearum identitatem vel diversitatem cognitam. Effectus vero, qui illo assensu in mente producitur, vocatur quies mentis, quia in veritate cognita et possessa quodammodo quiescimus. — Ad hunc vero assensum mentis praestandum *non per se et formaliter* requiritur actus voluntatis, ut Cartesius,<sup>2</sup>) Wundt<sup>3</sup>) censem, neque mens mere passive sese habet

(Festschrift für K. Fischer), die Philosophie im Beginn des 20. Jhrh. 1904 I, 163 sq. <sup>1</sup>) Logik 1893, I, 156: „Urteil ist Zerlegung eines Gedankens in seine Bestandteile.“ Sed a) analysi conceptuum alii formantur conceptus magis universales, non autem iudicia; b) iudicia *primitiva* supponunt quidem analysim conceptuum, non autem omnia, et deinde debet accedere synthesis a modum praedicationis; c) iudicia negativa, proxime saltem, certe non oriuntur ex analysi, si quidem praedicatum repugnat subiecto. Ceterum alio loco (ib. II, 2, 207) vocat actus iudicandi, concludendi etc. associationes apperceptivas („appерзективе Verbindungen der Vorstellungen“). Cfr. Goedeckemeyer Archiv für system. Philos. 1903, p. 179. Cfr. Lehmen, Lehrbuch der Philosophie<sup>2</sup> II, p. 403 sq. <sup>2</sup>) Princ. phil. I, 32 sq. <sup>3</sup>) Logik 1893, I, 79; System der Philosophie<sup>2</sup>, 1897, p. 39. Cfr. Philosophisches Jahrbuch 1903, p. 339 sq.

qui actum positivum iudicando eliciat, ut Malebranche cum suis sentiebat.

II. *Obiectum iudicij*: Duplex iudicij obiectum distinguitur: *remotum* et *proximum*; *remotum* sive *etiam materiale* sunt ipsi conceptus nostri, sed quatenus sunt obiectivi, i. e. obiectum repraesentant et supponunt pro ipsis rebus. Non enim de nostris ideis subiectivis iudicium fertur. *Proximum* autem obiectum sive *formale* est identitas vel diversitas idearum; in hac enim percipienda et affirmanda tota vis est iudicij. Neque vero intrinseca semper requiritur identitas; secus enim iudicia non possent esse nisi definitiones vel tautologiae; sed sufficit *obiectiva* idearum vel potius rerum identitas. Neque enim *mathematica* illa subiecti et praedicati aequalitas quoad extensionem, quam vocant „quantificationem iudicij“, requiritur, sicut Boole, Bentham, Hamilton putant.<sup>1)</sup> Satis est, ut subiectum sit sub extensione praedicati; neque enim secundum extensionem, sed secundum *comprehensionem* praedicata subiectis per se tribuuntur. Neque tanta est illa quam Wundt<sup>2)</sup> statuendam esse putat differentia inter iudicia identica et subsumptionis; nam omnia iudicia, ut sint vera, exigunt identitatem subiecti et praedicati simulque subiectum sub extensione praedicati subsumunt. Immo, ipso fatente, omnia iudicia ad subsumpta reduci possunt (Log. I, 234 sq.), ita ut iudicia identica (e. g. definitiones, aequationes mathematicae) non sint nisi species infima (unterer Grenzfall), in quibus et comprehensio et extensio subiecti et praedicati prorsus coincidunt; in aliis vero solum ex parte, prout praedicatum est conceptus genericus subiectum minus universale sub se continens, ita ut praedicatum „ens“ tamquam omnia praedicata transcendens sit praedicatum ultimum omnis subiecti (oberer Grenzfall).

Neque audiendi sunt, qui non identitatem, sed potius *inhaerentiam* praedicati in subiecto iudicio affirmari putent<sup>3)</sup>; non igitur S est P, sed S habere P duce Kant dicendum esse arbitrantur. Quamvis forte cum aliquibus<sup>4)</sup> dici possit, praedicatum inhaerere subiecto, haec tamen *logica* inhaerentia prorsus diversa est ab inhaerentia physica accidentis in substantia, neque adest nisi quaedam ratio analogica. Quod maxime appetit in iudiciis negativis, in quibus praedicatum a subiecto expresse excluditur. Petrus enim non dicitur *habere* hominem, sed *est* homo; neque *habet* caecitatem, sed *est* caecus, i. e. *privatus* est facultate quam deberet habere videndi.

<sup>1)</sup> Schmid, l. c. II, 188 sq. Trendelenburg, Logische Untersuchungen<sup>2</sup> II, 304 sq. Iam Antisthenes Cynicus ita sentiebat (cfr. Geyser, Das philosophische Gottesproblem, p. 49.) <sup>2)</sup> Logik I, 196 sq. et System der Philosophie, p. 151. Pesch, Log. I, 376, nota. <sup>3)</sup> Cfr. Egger contra Drbal, Logica, p. 24, nota.

<sup>4)</sup> Stöckl, Lehrbuch d. Philos. 1892<sup>7</sup>, I, 196; vide etiam Philosoph. Jahrbuch, 1897, III, 345.

Unde formalis ratio iudicij seu eius obiectum formale est prorsus simplex; est enim nexus ille indivisibilis identitatis vel diversitatis inter subiectum et praedicatum.

**III. Natura propositionis:** Sicut idea vocabulo, ita iudicium exprimitur propositione vel ore vel scripto pronuntiata, quae definitur: „*Oratio, quae aliquid affirmat aut negat*“ (*Κατάφασις* = propo-sitio affirmativa; *ἀπόφασις* = propositio negativa).<sup>1)</sup> Oratio autem distinguitur *imperfecta*, quae sensum non integrum habet e. g. legere, et *perfecta*, quae sensum habet integrum. Haec iterum dividitur in *enuntiativam, admirativam, interrogativam, imperativam, deprecativam, optativam, concessivam*. • Sola *enuntiativa* a logicis atten-ditur, quia sola per se affirmat vel negat.

**IV. Materia et forma propositionis:** Tribus elementis propositio constat: *subiecto*, de quod aliquid praedicatur, *praedicato*, quod praedicatur, et *copula*, quae est signum identitatis vel diversitatis inter subiectum et praedicatum.

1. Subiectum et praedicatum vocantur *materia*, copula vero *forma* propositionis. Unde propositio simplex reducitur ad formam: *S est P*, et vocatur propositio de tertio adiacente. Saepe autem fit, ut non hoc modo proferatur; potest enim propositio a) duobus (de secundo adiacente: ego audio), immo uno termino constare, e. g. audio. Tunc resolvenda est in propositionem de tertio adiacente: ego sum audiens; et subiecto potest alia vox substitui, sicut fit in dictionibus impersonalibus: pluit.<sup>2)</sup> b) Fieri potest, ut vel subiec-tum vel praedicatum vel copula vel tria hacc propositionis elementa sint termini complexi: Alexander magnus, rex Macedonum, devicit Persas. Haec propositio resolvenda est in formam simplicem: Alexander . . . est vicit Persarum. In priore propositione termini inci-dentes vel appellativi, qui subiectum afficiunt (magnus, rex Mace-donum) facile intelliguntur; sed copula potius explicanda esse videtur.

2. *Copula* igitur propositionis semper est *verbum „esse“* substantialiter sumptum modo indicativo temporis praesentis. Distinguitur enim verbum „esse“ verbaliter et substantialiter sumptum. Priori sensu significat existere: Deus est = Deus est existens; altero vero significat primario identitatem inter subiectum et praedicatum a mente nostra cognitam et affirmatam; (supponit igitur subiective pro actu-mentis; secundario autem significat etiam identitatem vel diversita-tem obiectivam inter subiectum et praedicatum ac proinde pro rebus

<sup>1)</sup> Arist. Periherm. c. 6; anal. pr. I, 1. S. Thom. opusc. 48 de enunciatione.

<sup>2)</sup> Non videntur esse iudicia sine subiecto, quemadmodum nonnulli (cf. Über-weg-Heinze IV<sup>o</sup>, p. 314; Braig, Logik, p. 53) censem; nam iudicium sine subiecto, licet maxime indeterminato, non iam esset iudicium.

ipsis supponit. Neque enim solum in mente mea Petrus est morta-lis, sed in seipso. Hoc sensu verbum „esse“ sumendum est, ut sit copula propositionis, et sic latet in omnibus verbis. Deinde accipiendum est modo *indicativo*; alias enim non enuntiat; tertio tempore *praesente*; aliis enim temporibus verbum „esse“ non sim-pliciter identitatem significat, sed restringitur ad certam relationem temporis, quae praedicatum afficit; unde propositio: iusti erunt felices, resolvenda est: iusti sunt futuri felices. Nonnunquam verbum „esse“ omittitur, ita ut vel modo dictionis per emphasis, vel ordine propositionis, sicut fit in linguis isolantibus, suppleatur; semper tamen supponitur<sup>1)</sup>; aliud est enim terminus complexus, aliud *affirmatio obiectiva* in propositione.

**V. Dispositio propositionis:** Quum praedicatum per identitatem subiecto tribuatur, oportet illud sub extensione sua contineat, ideo-que conceptus praedicati vel latius vel saltem aequa late patere debet ac conceptus subiecti. Si ultimum, duo illi conceptus erunt intrin-sece identici, et praedicatum est definitio subiecti, vel speciem eius constituit; si primum, praedicatum vel ut genus, vel ut differentia specifica, vel ut proprium, vel ut accidentis subiecto tribuitur, ac proinde semper erit conceptus simplicior quoad comprehensionem et per con-sequens universalior quoad extensionem quam conceptus subiecti. *Naturalis* igitur *dispositio* iudicij tunc adest, si conceptus simplicior ac proinde universalior locum praedicati occupat, e. g. homo est mortal; et tunc propositio vocatur *naturalis*. Nonnunquam autem ordo invertitur, ita ut conceptus per se universalior locum subiecti occupet; quod si fit, necessario in suppositione vel singulari vel parti-culari esse debet; e. g. aliqui mortales sunt homines; talis propositio vocatur *inversa*.

## Caput II: Divisio propositionum.

Propositiones diverso modo dividuntur; alii enim distinguunt ratione *veritatis*: veras et falsas; ratione *certitudinis*: certas, proba-biles, dubias; ratione *fontis*: analyticas (a priori) et syntheticas (a posteriori); ratione *modi*: mediatas et immediatas. Quae divisiones quum potius spectent ad modum nostrum cognoscendi ac proinde

<sup>1)</sup> Wundt videtur immerito negare, copulam esse elementum necessaria-rium omnis propositionis (Log. I, 165), praesertim quum omnia iudicia ad subsumptiva reduci possint, immo debeant, ut vera sint, etiamsi praedicatum sit verbum vel adiectivum, quibus semper conceptus aliquis genericus vel specificus subiecti supplendus est: e. g. Alexander devicit Persas = est vicit Persarum; Petrus est sanus = homo sanus.